



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Sect. I. Magorum ad Christi nati cunas profectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

CAPUT X.

De Nato Christo à Magis quesito.

NASCENTIS Christi gloria tum demum cepit splendescere, cum astrum Magos ex Oriente ad Pueruli cunas perduxit. De hoc Orientis proceribus, eorumque in Dominum IESUM religione, Theologus Thomas Aquinas tertiâ parte, quæstione trigelima sextâ, non tam eleganter & disertè, quod Oratorum est, quàm eruditè ac sapientè, quod Theologorum, disserit. Hunc ego viâ duce, inter ceteros mihi sequendum censui. Atque ut res ordine, quàm potest, clarissimo sub aspectu veniat, tria potissimum de Magis Christum Natum adorantibus explicanda: *Profectio*, *Veneratio*, *Donatio* Magorum. Singula singulis capitibus exequemur, eo quo cœpius dicendi genere.

§. I. Magorum ad Christi Nati cunas profectio.

Tria admiranda de tribus Magis.

1. Profectio.
2. Submissio & reverentia.
3. Eorum liberalitas.

Ex qua Orientis parte hi reges Palæstinâ petiverunt.

ADmiranda (quod dixi) verè sunt, quæ de tribus Orientis Dynastis sacri codices loquuntur. Tria tamen potissimum occurrunt, quæ inter admiranda hæc meritò numeranda. Primum, Profectio illorum, & iter in terram tam remotam. Alterum, Submissio illorum & reverentia in Regem tam ignotum. Tertium, Liberalitas tam larga & conveniens in novam prolem tam admirandam. Primo loco iter illorum se mihi offert. Quid hic non admirandum? Regio è quâ discesserunt, domus quam quaesiverunt, via quâ iverunt, lux viæ cui adhaeserunt: Omnia hæc, inquam, admiranda. Ex Orientis partibus hos Principes venisse luculentè affirmat sacra pagina. Et rectissimè ex Oriente venerunt, quia unde dies nascitur (cum Chrysofomo loquor) inde verè religionis iubar illustrissimum processit. Hic illud quaeri posse video. Illanc Orientis regio, è quâ hi Triumviri Palæstinam petiverunt, ipsi Palæstinâ vicinior fuerit, an ab eadem remotior? Quorum quidem hoc alterum longè verosimilius est, si Chrysofomo, Ambrosio, Leoni Pontifici credimus, qui ternos hos Divos, remotioris Orientis incolas, & gentè in longinquis Orientalis plagæ regionibus sitam appellat, imò ex remotissimâ Orientis parte venisse disertè affirmant. Idque sacra historia convenientissimum videtur; ille enim Puer, qui per ærnum illum & igneum tabellarium tam distitas à gentes ad se accivit, eo clariore signo Hebræam perniciam notavit, quo ex remotiore loco venerabundum agmen ad se pertraxit. Quid enim ad infamiam turpius pediculuso illi deo Herodi, qui ebulliens vermium examen eodem suo, è quo prorumpabant, vivo cadavere pascebat: Huic, inquam, tyranno, & omnino Hierosolymitano, sed & Bethlehemitico civi, quæ ad ignominiam turpius, quàm illum Regem in suo agro natum, non tantum non coluisse, sed ne scisse quidem natum esse, nec etiam, quod gravius, scire voluisse, quem tamen extremi Orientis phalanx venerit adorata? Voluit ergo divinus hic Infans remotissimis populis se regem, cælo testante, natum patefacere, quem nosse recusarunt viciniissimi Israëlites. At quæ hæc Orientis regio fuerit, è quâ hi tres Toparchæ profecti sunt, varius sanctorum Patrum sensus est.

§. II. Ex qua regione profecti sint Magi.

Alii è Perside eos producant, alii è Mesopotamiâ, seu Chaldaëâ, vel quia Magorum scita originem sumpserunt à Chaldaëis, vel quia Balaam Chal-

A dæus, inter cuius posteros hi tres Magi à quibusdam censentur. Ego (si fas sententiam meam hic interponere) ex Arabiâ Felice illos ad Christum iter instituisse planissimè persuadeor: & regius quidâ Pfaltres, reges Arabum dona Christo allatuos, claro fati vaticinio prædixit, cui & magni vatis Isaia vox accendit. At verò non ex Arabiâ Desertâ, quæ cultores ignorat, nec ex Petræâ, quæ meridiè spectat, triumphos hos purpuratos venisse, nemini puto non liquere. In eadem hanc sententiâ iverunt olim antiquissimi Scriptorum. Iustinus, Cyrillus, Tertullianus, Cyprianus, quorum iste apertius, Nec multò post, inquit, Arabum fines huius rei notitia penetravit, & incolis Saba præclari stella luminis caeleste Numen novis splendoribus indicavit. Et horum tam magnorum testimonium auctoritas non sit, ipsa certè donorum ratio id cuius persuadeat. Arabiam Felicem, auri & aromatum feracem esse, vel ex illo naturæ præcone Plinio discimus, qui solam ferè Arabiam thuris fecundam matrem agnoscit. Quàm ergo hæc coniectare pronum à tribus illis Satrapis, suæ regionis divitiis, fulva montium viscera, & fragrantibus Arabicarum arborum lacrymas Christo Regi in munus delatas? Et videntur his quasi symbolis tres illi Arabici duces professi, se, suamque terram, suaque omnia in eius fide & potestate futura, quem dono cultum; tam suppellice fuissent venerati. En sibi iter tam ignotum, tam arduum, tam non ameno cælo ad Hebræi pueruli gramineas cunas susceperunt, opibus & profapia tantiprius tamè ab auctore illo cæli oratore ad succipiendum hoc iter persuasi. Atque hic est, quod non homines tantum, sed hominum imperatrix natura admiratur & obstupefacit. Stellas extra cælum, & terræ tam propinquas in alieno quasi regno, vidit illa nunquam. Hoc tandem die leges illa suas non tantum in pariente Virgine mutatas, sed & in aère sic splendescente superatas cognovit.

§. III. De Stellâ profectiois istius duce.

Mirabatur natura nuper à Virgine prolem, hodie in aëre stellâ inulitato & inaudito partu produsse pœne indignatur. Elusa hic est Astronomorum ars omnis, quæ etiam numeratas sibi tot cæli stellas jactet, illarum motus designet, ortum obitumque commonstrèt, ad hoc tamen unicum astrum infacunda & rudis obmutescit. Enimverò dicat, si id possit, è quâ materie aërea hæc tæda sic rutilat? quis illam per auras deportat, quis motum istum subministrat? num eam è cælo genius aliquis impellit, num aër protrudit? num ipsa se movet? quò tandem, munere suo perfuncta, aufugit? quas deniq; latebras petiit? an per auras evanuit? an in ipsas sese auras transforsavit? Hic ego Augustinum magis audiam, quàm Astrologum. Eximie hic Doctorum Doctor, *Novam stellam*, inquit, *declaravit Natus, qui antiquum solem obscuravit Occisus. Quid erat illa stella, que nec usquam antea inter sidera illuxit, nec postea monstranda permansit? quid erat nisi magnifica lingua cæli, que Numinis gloriam narraret, qua Virginis partum nuntiaret inustrato fulgore. Ita Hipponensis Pontifex. Verè terra disciplinam tunc ab aère accepit per hanc directricem flammam tam sacri itineris. Et quàm admirandus fuit motus ac progressus istius è cælo fulgurantis prodromi! Et quomodo se suis illis, quos ducebat, comitibus attemperabat aëreum hoc sidus! Stabant illi? Stabant illi? præibat istud. Per montes illi suum agmen erigebant? & hoc sese tollebat altius. In valles illi declinabant? & istud sese depressius ferebat. Hospitium illi è viâ petebant? eidem pæne & stella succedebat, inde certè non prius movebat, quàm illi. Quid hic magis mirer, an stellam tam fideliter præventem,*

an co-